



AN. XXII - N. 131.

MM. JANUARIO et FEBRUARIO

AN. D. MCMLI

SUMMARIUM

| | |
|--|---------------------------------|
| Compositiones vertendae | |
| Historia... magistra vitae | <i>Orth</i> |
| Immaculatae Virgini | <i>Lage</i> |
| Summa Institutionum Romanarum. | <i>Sansegundo</i> |
| Cursus Gymnasticus | <i>Mir</i> |
| Nomenclatura vestiaria | <i>Holzer</i> |
| Commercium epistulare | <i>Jiménez - Holzer - Mir</i> |
| B. Mariae Virginis Assumptio | <i>Lucesole</i> |
| Bibliographia | <i>Espeche - Brasero - Melé</i> |
| Exercitationes scholares | |

Compositiones Vertendae

INTERPRETACIÓN DE UN SUEÑO

Platón, varón de prodigioso (1) y casi divino ingenio, escribe que Eudemo de Chipre, familiar suyo, yendo de camino (2) a Macedonia arribó a Feres (3), que era una ciudad muy célebre (4) entonces en Tesalia y se sentía abrumada por el duro poder del tirano Alejandro (5); en aquella población (6) [escribe que] cayó tan gravemente enfermo (7) que todos los médicos daban el caso por perdido (8); [y que] le pareció en el sueño (9) que un joven de distinguido continente (10) le decía que muy en breve convalecería (11) y que al cabo de unos pocos días (12) moriría el tirano Alejandro, y que él mismo, Eudemo, volvería a casa después de cinco años. Y en efecto (13) escribe Platón que se cumplió (14) lo primero (15) y que se restableció (11) Eudemo y fué muerto el tirano por los hermanos de su esposa, [y] que él empero al finalizar el quinto año (16), aun teniendo la esperanza (17) en fuerza de (18) aquel sueño de que volvería de Sicilia a Chipre, cayó luchando junto a Siracusa; y [que] por esto (19) aquel sueño fué de tal suerte interpretado que habiendo salido el alma (20) de Eudemo de [su] cuerpo, parece que regresó a su casa.

NOTAS: (1) *Singularis*. (2) *Iter facere*. (3) *Phaerae, arum*. (4) *Nobilis*. (5) *Ab Alexan tro autem crudeli dominatu teneri*. (6) *Oppidum*. (7) *Ita graviter aeger esse*. (8) *Diffidere*. (9) *Quies*. (10) *Egregia facies*. (11) *Perbrevi convalescere*. (12) *Interire*. (13) *Atque ita*. (14) *Consequi*. (15) *Prima (sustantivado)*. (16) *Quinto autem exeunte anno*. (17) *Spes esse*. (18) *Ex*. (19) *Ex quo*. (20) *Animus excedere*.

Ordinarii ac Superiorum licentia

PRETIUM SUBNOTATIONIS ANNUAE

20 pesetarum in Hispania et America. 22 pesetarum in reliquis civitatibus.
Pretium mittatur oportet ad Administratorem: Lauria, 5, Apartado 1042, Barcelona
Scripta ad Moderatorem: Conde, 2, Barbastro (Huesca).

Typographia — F. Camps Calmet. — Teleph. 54. — Tarregae in Ilerda Prov.

PALAEASTRA LATINA

Letra F.
TIC

Historia... magistra vitae

Cicero in libro «de oratore», II, 36, historiam quinque descriptionibus praedicat: «historia est testis temporum, lux veritatis, vitae memoria, magistra vitae, nuntia vetustatis».

Tertia definitio historiae supra a me correcta sic sonat: (historia...) «vitae memoria». Quamquam cuncti codices scribunt «vita memoriae», tamen scriptio in hanc formam corrigatur oportet: «vitae memoria»; nam historia est vera *memoria*, non autem *vita* ipsa. Scriba negligenter semper primo nominativum, deinde genitivum, intellectu et figura chiasmi neglectis, posuit; nam «vitae memoria, magistra vitae» est compositio artificiosa, cum allitteratio (*v m + m v*) et antithesis duarum vitarum applicetur; memoria ad vitam jam peractam pertinet, magistra vero ad vitam etiam agendam tendit. Quae quinque definitiones historiae e diversis fontibus Graecis manaverunt, ut ex earum forma brevissima et circumscripta elucet. Illas descriptiones historiae vel Cicero ipse collegerat vel e collectione alterius auctoris compilaverat: testis temporum: μάρτυς τῶν γρόνων, lux veritatis: φῶς τῆς ἀληθείας, vitae memoria: μνήμη τοῦ βίου, magistra vitae: διδάσκαλος τοῦ βίου, nuntia vetustatis: ἀγγελος τῆς παλαιότητος. Historia hoc loco tamquam fons veritatis et fundamentum quoddam vitae agnoscitur.

Quarum sententiarum notissima est illa: «historia... magistra vitae», cuius sensus est: Historia exempla temporum praeterlapsorum tradens homines docet, quomodo vita adhuc agenda recte ordinetur et compleatur, ut ad bonum finem perveniat. Hanc historiae sententiam Cicero ad suum arbitrium rededit et propagavit, ut eam major pars hominum statim caperet. Sed vocabulum «historia» primo sensum altiore habuit; ἱστορία enim significat ab origine propriae naturae vocis actionem quaerendi: ἱστορία ultimas causas rerum percontatur; ἱστορία primitus erat actio quasi philosophica; postea vero ea, quae ex hac disquisitione historiae accuratissima parta et constituta erant, nomine «historiae» comprehendebantur; historia igitur denique solum cognitas et datas res enumerat et pronuntiat. Cicero ab historiae sensu scientifico et philosophico ad actionem numerandi et narrandi transiit et historiam ut narratricem et magistram accepit. Ex stricta altitudine severae scientiae in latam vulgaremque planitiem eruditionis popularis historia descendit. Sensum quidem primigenium vocis «historiae» Cicero noverat, sed ad gloriam histo-

riae in hoc loco libri «de oratore» amplificavit et veram opinionem auctoris adhuc ignoti, qui sententiam de historia magistra vitae protulit, permutavit. Nos autem optime novimus historiam duplici sensu accipiendam esse et philosophico et narrativo sensu. Sententia illa, quam Cicero affert: «historia magistra vitae», sensum subtiliorem et altiorem habet. si illam philosophice interpretamur: historia nobis viam optimam vitae agendae ostendit, si ubique causas ultimas et profundissimas omnium rerum et actionum etiam in exemplis temporum praeteritorum exquirimus et perpendimus. Illa sententia de historia ut magistra vitae prolata faciem Jani prae se fert: simul philosophicam et paedagogicam; omnes fere homines sensum hujus comparationis historiae philosophicum nesciunt. Nos tamen semper philosophiae partem primariam etiam in historia explicanda attribuemus.

EMIL ORTH

Immaculatae Virginis

*Tu, Mater, nive candida
surgis candidior; nites
nivalis radiantibus
semper dulcis ocellis.
Resident pueri angeli
circum Te. Nitido micas
risu laetitiae novo
et candore corusco.
Fac florescere me novis,
Virgo candida, floribus
quos circum volitans, apis,
Jesus aurea, carpat.
Tandem, Virgo Parens, mibi
manus ablue sordidas,
quae possint gerere, ut tuae
Jesum voce renatum!*

FRANCISCUS LAGE

(e. IV lat. cursu.)

Spini, in Juvenatu C. SS. R. 3 XII 50

Summa Institutionum Romanarum

De Urbis Romae origine et conditu

Institutiones Romanas noscitur maxime quidem intererit ipsius Urbis Romae originem altius pau'o repetere. Jam vero, quia in his lucubrationibus adornandis hoc in primis mihi proposui, enarrare scilicet omnia ad antiquitatem pertinentia, ut Latini scriptores penitus harum litterarum studiosis paterentur, non ero de ipsa rei veritate anxie nimis sollicitus.¹⁾

Ut onines optime norunt, nascentis Romae historia, ita fabulis referata se habet, ut ficta a veris discernere non difficile jam, sed desperandum omnino videatur.²⁾ Tamen istam plus minus fictam Romanorum historiam pro viribus persequar, et quantum nostrum institutum patitur, de Urbis Romae origine, de conditore, de anno, de nomine deque primis Romae incolis, agam.

1. De primi Urbis origine. — Anno mundi 2.800 ante Christum natum, circiter 1184, a Graecis Troja, propter raptum Helenae, proditione capta est. Quod praeter alios auctores, duo poëtarum principes Homerus et Vergilius memoriae tradidérunt Quae helli causa fuerit, et si jam tetigi, quae etiam ducum nomina, quae proelia, longe lateque narrant vel historia vel fabula. Prodictionis auctores fuisse perhibentur Antenor et Aeneas. Ut ut est, exciso a Graecis Ilio, Aeneas Anchise et Veneris, ut fingitur, filius (VERG. *Aen.* I, 329 et alibi saepissime), ex Asia pulsus, oraculi monitu, in regionem Italiae, Latinum nomine, cum Trojanis ap. pulit. Latio tum praeerat Latinus, Fauni filius, rex Aboriginum. Ducta ibi Lavinia, Latini regis filia, Lavinium urbem, ex uxoris nomine, condidit. Sed propter fraudatas Laviniae nuptias, postea utriusque bellum adversus Turnum Rutulorum regem fuit, in quo Turnus et Latinus



occubuerunt. Latino socero vita functo, Aeneas regnum suscepit, Aboriginesque et Trojanos communi nomine Latinos nominavit. Quarto autem imperii sui anno, in bello adversus Mezentium, Etruscorum regem, e vita migravit. Aeneae ex priore uxore Creusa filius Ascanius a noverca dissidens, post triginta annos Albam Longam exstruxit. Inter Lavinium conditum et Albam coloniam deductam interfuerunt triginta fere anni. Initium vero regni Albani coepit anno post captam Trojam tricesimo secundo, aetatis vero Ascanii vicesimo quinto; a quo, ad Procam usque, undecim reges praefuerunt imperio.³⁾

Decimus tertius ab Ascanio, nempe Procas, rerum Albanarum potitus, duos reliquit filios, quorum minor natu Amulius, regnum quod propter aetatem Numitoris fratri debebatur, fraude occupavit; utque regnum scelere partum sibi posterisque servaret, et ne vindicta regni ex fratris genere oriretur, Aegestum Numitoris filium inter venandum interfecit (DIONYS. HALIC. I, 76), filiam vero Numitoris Iliam, sive Rheam Silviam, Vestae sacerdotem consecravit; specie quidem honoris, ut ait Livius, re autem vera ne ullam prolem ederet, quia illius Deae sacerdotes in perpetuum viris se abstinere debebant. Haec virginitati devota, a quodam milite, uti videtur, quem Martem fuisse finxerunt,⁴⁾ gravida facta, geminos procreavit pueros, Romulum scilicet et Remum. Qua re ab Amulio cognita, Iliam in vincula conjici, pueros in Tiberim projici jubet. Cum vero fluvius forte ripis restagnasset, ad Palantii montis radices in alveo vimineo, qui impactus est saxo, effudit infantes. Ibi a pica et lupo,⁵⁾ — quae animalia Marti sunt sacra —, enutriti feruntur. Lupa praesertim illis mammas praebuisse dicitur.⁶⁾ Sed rei veritas esse videtur eos a Faustulo quodam regii pecoris magistro, in ripa fluminis fuisse repertos, et inter pastores, ab ipsius uxore Acca Laurentia, cui ob vulgatum corpus lupae nomen adhaeserat, educatos.⁷⁾

2. *De Urbis Romae Conditore.* — Postea vero, cum pueri adolevissent, rixa inter Amulii et Numitoris pastores orta est. Remus, absente Romulo, captus, ad regiam perducitur criminique ei datur quod Numitoris greges infestare solitus sit (Liv. I, 5). Tunc a rege Numitori traditur puniendus; verum Remus, multis sermonibus vicissim habitus, nepos Numitoris tandem est agnitus. Tunc supervenit Romulus cum Faustulo, ut auxilium Remo ferret; et coniuratione facta, ex inopinato Amulium obtruncant, regnumque avo Numitori restituunt, qui, sive ut dicionem propriam daret nepotibus, sive ut fautores Amulii a se removeret, nepotibus statim novae urbis condendae auctor fuit (DIONYS. HALIC. I, 85) illisque agros, arma, mancipia, aliaque id genus indulxit.

Tunc Romulum Remumque regni cupido cepit. Hic collem Remuriam munieram contendit, ille Palantium. Uter autem vinceret regnaretque, auspiciis (res tunc temporis jam in more posita) decerni placuit. Sex vultures primus vidiit Remus; duodecim paulo post Romulus. Inde oritur contentio; pugnatur; Remus occiditur (Liv. I, 7; DIONYS. HALIC. I, 86). Licet alii bene multi cum fossam, novae suae ubi circumdatam per ludibrium transilientem, a Romulo imperfectum fuisse velint. Romulus, interempto fratre, solus rex, arcem in monte Palatino ad

cujuſ radieſ cum fratre expositum vidimus, condidit,⁸⁾ eique Romae indidit nomen.⁹⁾

«In Romulo, verba ſunt Manutii, ¹⁰⁾ temperatum fuit ingenium, quale videlicet naſcentis Urbis initia postulabant, tum ad rem bellicam tum ad religionem accommodatum». De plurimis poſtea populis triumphavit, quorum nomina vide apud auſtores, ¹¹⁾ quorumque ſpolia ſane plurima opimaque, Acrone Caeninensium rege interfecto, Jovi Feretrio primus ſuspendit. Regnavit ann. 37, m. 2, d. 18. Nonis tandem Quintilibus ad Capreae paludem appaſere deſiit.

Sequenti numero non nulla de ulteriore urbis incremento deque Imperio Ro- mano ſufficient, et iam caput de rebus, quas dixi, ſacris aggredi liebit.

LEO M. SANSEGUNDO
Monachus Montiserrati.

1) Fontes praecipui e quibus noſtra haui- muſ, haec ſunt: CICERO, *De Republica*, 2, 5. TITUS LIVIUS, Lib. I, 3 et 7. DIONOYSIUS HALICAR- NASSUS, I, 131. VERGILIUS, *Aeneis*, VIII, 98 ſqq., 341, 359. OVIDIUS, *Fast.*, I, 470 ſqq. *Trist.*, III, 1, 31. PROPERTIUS, V, 1, ſqq. — Fontes alii mino- riſ momenti: PLUTARCHUS, *Vita Romuli et Vita Numae*. Polybius autem, Appianus et Dion Cassius historiam Urbis Romae non niſi leviter tan- tum attingunt. Dein notatu digni ſunt: EUTROPIUS. I, 1, et JUSTINUS, XLII, 2.

2) Non defuere qui urbem a Romulo in- ventam, neque adeo conditam ab eo Romam, ſed auctam modo vellent. Vide Furs, *Antiquitates Romanae*, Leodii 1826, pag. 38, n. 24. Ipsiſ autem Evandri historia prorsus fabulosa foret. Et quidam an omnino in Latio fuerit, dubitarunt; alii vero rem tot veterum testimoniorum celebratam, a Graecis confictam eſſe periuasum habent, for- tasse nimium acumini ſuo tribuentes.

3) Illorum ſeriem habes apud LIVIUM I, 3, et DIONYS. HALIC. I, 70.

4) Et ratio eſt quia, ut ait Livius, fortasse non ſine quadam ironia, «Deus auctor culpaे honestius erat», I, 4.

5) OVIDIUS, *Fast.* III, 37. PLUT. *Quaest.*, *Roma.*, n. 21.

6) Hodie Romae in Capitolio, vel potius in Museo cui nomen Capitolino, aeneum exstat ſi- mulacrum lupam referens Remum Romulumque lactantem, quod idem eſſe creditur cum eo de quo loquitur Cicero in Catilinam III, 8.

7) Cfr. PLAUT. *Epid.* 3, 3, 22. Sic Laetan- tius, Livii vestigia premens, ait: «Romuli nutrix lupa honoribus eſt affecta divinis, et ferrem, ſi

animal ipsum fuisset, cujuſ figuram gerit; ſed auctor eſt Livius Larentiae eſſe ſimulacrum, et quidem non corporis, ſed mentis ac morum; fuit enim Faustuli uxor, et propter vulgati corporis vilitatem, *lupa* inter pastores, id eſt meretrix nuncupata eſt». DIVIN. *Inst.* I, 20, 1. Apud ve- teres tamen auctores quamplurimum opinio eſt lupam revera Romuli nutricem fuuisse: SIDON APOLLIN. *Carm.* 2, 119: «Praebuit intrepido mammas lupa feta quirino». PROPERT. 2, 6: «Nu- tritus duro, Romule, lacte lupae». MARTIALIS, 2, 75: «A noſtra pueris parcere diſce lupa». Cfr. OVID. *Fast.* 3, 45, ſqq.

8) Romam conditam ab uno Romulo hiſto- rici paene omnes aſſerunt. Inter priſcos Varro- nem allegaſſe ſufficiat: «Antiquissimum Graeciae oppidum Theba Boeotiae, quod aedificavit Ogyges rex, in terra Romana Roma, quam Romulus». R. R. 3, 1, 2. Alii tamen, licet paucifimi, ab utro- que fratre conditam autuſtant: PLINIUS, *H. N.* 8, 17: «...ſicut de conditoribus noſtriſ accepimus». M. MANIL. *Aſtron.*, 5: Qua genitus cum fratre Remus hanc condidit urbem».

9) De hujus nominis arcano poſtea ſermo redibit. Interim vide SERV. *ad Verg. Aen.* I, 277 et 281: «Romanosque ſuo de nomine dicet». Ci- cero autem, *De Divinat.*, I, 48, 107, loquens de diſſidio fratrum uter nomen urbi daret, versus Ennii profert:

Certabant urbem Romamne Remamne vocarent,

Omnibus cura viris, uter eſſet induperator.

10) *De Legibus*, c. 2.

11) JUSTIN., XLIII, 2. EUTROP. I, 1. OROS., II, 4. Vide etiam Liviū et Dionys. Halic. locis laud.

Cursus Gymnasticus

Llegó aquella hora tan deseada de todas las gentes, tan esperada en todos los siglos, tan cantada y celebrada en todas las escrituras divinas. Llegó aquella hora, de la cual pendía la salud del mundo, el reparo del cielo, la victoria del demonio, el triunfo de la muerte y del pecado, por la cual lloraban y suspiraban los gemidos y destierro de todos los santos. Era la media noche, más claro que el medio día, cuando todas las cosas están en silencio y gozan del reposo de la noche quieta... Pues, en esta hora tan dichosa, aquella omnipotente Palabra de Dios descendió de las sillas reales del cielo a este lugar de nuestras miserias, y apareció vestido de nuestra carne... (GRANADA)

INTERPRETATIO LATINA

Advenit hora illa ab omnibus gentibus tam vehementer exoptata, omnibus aetatibus avissime exspectata, omnibusque litteris divinis adeo praedicata atque concelebrata. Illa tandem advénit hora ex qua salus mundi, caeli recuperatio, de daemonie victoria, de morte ac de peccato triumphus pendebant; quam omnes sancti in exilio gementes effusis lacrimis exoptabant. Media nox erat, luce meridiana splendidior, cum omnia silent atque noctis quiete ac tranquillitate perfruuntur...; hac igitur faustissima hora illud omnipotens Dei Verbum a regalibus caeli sedibus in hunc aerumnarum nostrarum locum descendit atque carne nostra indutum apparuit...

COMMENTARIUM

Llegó aquella hora: *Advenit hora illa.* Cfr. «advenit proficisciendi hora» (TACIT., *Hist.*, 4, 62, 10). «Interea dies advenit, quo die..., iste edixerat» (CIC., *Verr.* 2, 14, 37). «Annus adveniet» (*Tibul.*, 4, 6, 19). *Advenit:* Vox quae significantior est in oratione aut quam significare volumus primo loco efferimus, et ideo subinde verbum orationem incohatis: «*Serpit per omnium vitas amicitia;*» «*Movet me oratio tua;*» «*Errare malo cum Platone.*» — **Aquella:** *illa;* «ille emphaticus eleganter apponitur personis rebusque cognitis ac notis, quas indicare volumus. (ISSELE, *De Latinorum Sermone*, 89, n. 2, c.); «Textula illa. Medea illa. Socrates ille.» (Socrates) in manu mortiferum illud tenens poculum...» (CIC., *Tusc.*, 1, 29, 71). Saepe altis vocibus, quas notare volumus, interseritur, ut sis májorem addat vim: «Quam multos scriptores rerum suarum magnus ille Alexander secum habuisset dicitur» (CIC., *Arch.*, 10, 24). «Meus ille discessus» (CIC. V.). — **Hora:** *hora (tempus);* hoc sensu adhibent in primis poëtae: «Abiit hora» (TER., *Eun.*, 2, 3, 50). «Et mihi forsitan,

tibi quod negarit — Porriget hora» (OVID.). **Tan deseada de todas las gentes:** *Ab omnibus gentibus tam vehementer exoptata.* — **Gens:** gente, pueblo. «Quem unum ex cunctis delegissetis, ut eum omnibus omnium gentium bellis... praeponeretis» (CIC., *Leg. Ag.*, 2, 9, 23). *Gens* latius extenditur quam *natio;* differunt enim sicut genus et species; et significant quemcumque hominum coetum, originis tantum communione congregatum. *Gens* plures nationes in se complectitur...; *gens* et *natio* physico atque ethnographico, ut ajunt, sensu, *populus* vero et *civitas* politico sensu accipiuntur (FORCELLINI, sub. v. *gens*; cfr. BARRAULT, *Traité des synonymes de la langue lat.*, n. 792; CUPAIOLU, *La versione latina*, p. 26, 1). Potest etiam unum conceptum duobus exprimi verbis ad majorem vim tribuendam: *nationes et gentes.* (Cfr. GANDINO, *Lo Stile latino*, I, 2, 27; IX, 1, 21). — **Tam vehementer:** tanto opere, adeo vel tantum vehementer, maxime. — **Exoptare:** «est vehementer optare. (STEPHANUS); «valde optare, expetere, valde desiderare» (FORCELLINI). «Nunc ea cognosce quae maxime exoptas.

(Cic., Q. fr., 1, 2, 5) «Exoptatum nuntium afferre» (Cic., Rosc. Am., 7, 19).

Tan esperada en todos los siglos: *omnibus aetatibus avidissime exspectata.* — **Aetas:** (vel temporal) época, tiempo, siglo: «Et jam heroicis aetatibus (siglos heroicos) Ulixem et Nestorem accepimus et fuisse et hábitos esse sapientes» (Cic., Tuc., 5, 3, 7). *Omnibus aetatibus* praeccisa praepositione *in*, exprimitur enim «quanto tempore» exspectabatur (Cfr. LLOBERA, Grammatica Clás. Lat., 293). — **Exspectata:** «Exspectare significat praestolari: quia dum venturum aliquem praestolamur, frequenter aspicere solemus an veniat» (STEPHANUS). «Ad medium usque noctem exspectare aliquem» (Hor. Serm., 1, 5, 83). «Acriter (Cic., Fam., 8, 2, 2), avidissime (Cic., Phil., 14, 31) exspectare».

Tan cantada y celebrada en todas: *omnibusque litteris divinis adeo praedicata atque concelebrata.* — **Praedicata:** praedicare «est de re aliqua saepe ac paíam dicere, sermone celebrare, commemorare». «Nostra semper fereatur et praedicabitur pugna» (Cic., Arch., 9, 21). **Concelebrata:** dicitur «de iis quae litteris tradita vulgantur et nota omnibus reduntur» (FORCELLINI). «Concelebrare victoriam per orbem terrarum fama ac litteris».

Llegó aquella hora: illa tandem advenit hora; mutato ordine superioris formae, illa praecedit et ab hora sejungitur ut rem notis simam et desideratissimam innuamus, cui ad majorem vim conferendam tandem apponi potest. «Illa tanquam cygnea fuit L. Crassi vox et oratio» (Cic., De Orat., 3, 2, 6). «Tua illa praeclaras in rem publicam merita» (Cic., Fam., 11, 12, 1).

El reparo del cielo: caeli recuperatio; recupero, recipero est rem amissam recipere, jacturam reparare. (FORCELLINI). «Ita praeclaras est recuperatio libertatis» (Cic., Phil., 10, 10, 20).

— **Salus mundi, caeli recuperatio:** saepe plura vocabula —aut propositiones— ordine diverso exprímuntur quam oportebat neque orationis concinnitatem consequuntur, sed vocabula altera alteris opponuntur; quae ordinis ratio chiasmus appellatur. Cfr.:

- Sententiarum gravitas,
elegantia orationis».
- Ratio nostra consentiat,
Pugnat oratio» (Cic., De fin., 3, 3, 10).

Cornibus tauri,
apri dentibus,
morsu leones se tutantur.

La victoria del demonio: *de daemone victoria:* «victoria de, ex»: «de Vejentibus» (Liv., 5, 15); «de Romanis ducibus» (Liv., 30, 30); «Domitii ex Avernisi» (VELLEJ., 2, 10, 2).

El triunfo de la muerte y del pecado: *de morte atque de peccato triumphus:* «agere triumphum de aliquo» (Cic., Verr., 7, 39), «ex aliqua re» (Cic., Fam., 3, 10, 1); *de morte ac de peccato:* iteratur praepositio cum particulis «... et aut... aut»: «Praemulti et ex urbe et ex agris» (Cic., Cat., 2, 10, 21); repetenda quoque est praepositio ante plura substantiva conexa cum singula proprium ac singularē habent sensum ab aliis diversum. «De benevolentia ac de libertate dicetur» (Cic., De off., 1, 14, 42).

Por la cual lloraban y suspiraban los gemidos y destierro... *quam omnes Sancti in exilio gementes effusis lacrimis exoptabant.* Substantiva, quae res abstractas aut vita carentes significant, tanquam subjecta verborum, quibus actio aut animi vis exprimitur, fere non adhibent Latini; plerumque oratio activa in passivam convertitur (Cfr. BERGER, Stylistique lat., 105, 2; ISSELE, De Latinorum sermone, 28); «Dolore impedit», me impide el dolor. «Victus est Xerxes consilio Themistoclis» (NEP., Them., 4, 5), el consejo de Temistocles venció a Jerjes, «Virtute ad summos honores pervenit», la virtud lo elevó a los cargos más elevados. «Hic liber est, hoc libro agitur», este libro trata... — Totam igitur orationem converte: «Quam omnes Sancti in exilio gementes, effusis lacrimis (vel lacrimis) prosequabantur atque vehementer exoptabant (exspectabant)». — De orthographia exilium, *ex(s)ilium*, cfr. ERNOUT ET MEILLET, Dictionnaire étymologique de la langue latine, sub voce.

Era la media noche: *media nox erat.* Cfr. «proiecta nox erat» (TAC., A. n., 13, 20); etiam: «instabat media nox».

Y gozan del reposo de la noche quieta: *atque noctis quiete et tranquillitate perfruunt;* adjективum Hispanicum *quieta* commutari potest in substantivum abstractum quo illius *qualitas* vividiū effertur (cfr. ISSELE, 63); «Verborum moderatione gravitateque utl», usar de palabras moderadas y solemnies. (CUPAIUOLO, La

verstone latina, 272, 22). Potest tamen adjectivum retineri: «*Placidae noctis quiete perfruuntur*».

Aquella omnipotente palabra...: illud omnipotens Dei verbum a regalibus caeli sedibus in hunc aerumnarum nostrarum locum; nota apertissime interseri inter substantivum et adjectivum — aut pronomen — voces — vel etiam propositiones — quae ab his pendent: «omnipotens Dei verbum», «regalibus caeli sedibus», «hunc aerumnarum locum» (cfr. ISSELE, 312,

h.) «*Illos de re publica libros*» (Cic.) — Quanquam vocabulum *aerumnæ* aurea aetate antiquitatem sapiebat, illo tamen saepe usus est Tullius, quod et nos adhibere possumus. Si tamen religio tibi est aut miseriam aut laborem usurpare potes. — *Nostrarum aerumnarum*: ut oppositio appareat inter «*regales caeli sedes*», i. e. summam felicitatis et «*hunc aerumnarum locum*», — hanc nostram plenam miseriarum terram — possessivum *nostrarum* adhibendum videtur et voci *aerumnarum* adjungendum.

J. M. MIR, C. M. F.

Nomenclatura vestiaria

Cogitanti mihi, quid novi offerrem PALAESTRAE LATINAЕ, venit in mentem nomenclature vestiariae, quam in *Societate Latina* anno 1947 evulgavera-ram. Quam cum putarem etiam Hispanis linguae Latinae studiosissimis gau-dium paratūram esse, in PALAESTRAE LATINAЕ fasciculis eandem iterare statui adjectis aliquot mutationibus. Me' autem nominibus rei vestiariae latine redendis spinosissimum campum suscepisse subigendum, non est, quod fusius exponam. Multi quidem, qui hanc commentationem aspicerint, certe opinabuntur in vestibus hujus aetatis in Latinum convertendis me operam et oleum perdidisse. Nam revera nunquam accidere, ut cuidam data sit facultas de his rebus latine loquendi et, si data sit, esse sermones novios praferen-dos veterum Romanorum eloquio, quod per se offerant majorem perspicuitatem linguae hodiernae. Sine dubio hoc ita se habet. Motus rursus neolatini fautores — quorum in ordinibus me sedere cum gaudio et superbia profiteor his maxime iniquissimis temporibus, cum linguae Latinae scientia in dies magis magisque minuitur et a multis contemnitur —, demonstrare student nihil inveniri in vita humana, quod non possit latine exprimi, ideoque sata-gunt linguae Latinae usum restituere quam amplissimum eique locum juxta singularum nationum sermones vindicare. Quod propositum ut attingatur, nulla vitae veluti manifestatio relinquatur oportet intacta. Ita nos consilium suscepimus rei vestiariae horum temporum nomina imponendi Latina.

At quae praecepta in hoc negotio nobis sunt observanda? Quae via in ea, de qua agitur, re nobis ineunda est? Namque quia hodierna ratio vestien-di a veterum toto caelo distat, quaestio serio disceptanda est, num antiquorum nomenclatura vestiaria in usum recipi possit. Humanistae quidem saeculorum XV et XVI anxiō animo secuti sunt veterum consuetudinem, ut ex colloquiis Ludovici Vives et Desiderii Erasmi familiaribus luculenter appetet. Sed nobis idem licet? Certe multa in nostrum usum adhiberi possunt nomina. At-tamen non in omnes usus sufficit veterum nomenclatio. Qua de causa origi-

nem vocum examinavi et respexi. Ut enim antiquis temporibus factum est, ita etiam nostra aetate vestes ex terris, unde petita sunt, appellantur vel ex urbibus, in quibus primo confecta sunt vestimenta, nominantur, vel ex hominibus nuncupantur, qui hunc vel illum morem seu habitum vestis excogitaverunt et invenerunt. Moneo de *palla gallica*, de *dalmatica*, de *Gabiniano cinctulo*, de *Spenser*¹⁾, de *Ulster*²⁾ cet. In aliis vestimentis, quod eorum maxime proprium est et peculiare, exprimendum erat perspicuitatis causa. *Sweater*, *Pullover*, *Jumper*, *Strickweste*: haec indumenta, quibus truncum et pectus munimus contra frigus, ex lana confecta sunt. *Sweater*³⁾ autem sudatorium aliquid significat aut potius vestimentum denotat, quo sudantibus frigoris effectus nocivi arceantur. Est vox ad athletismum aut gymnica spectans. Antiquis autem praesto fuit in palaestra «endromis» eaque lanea, qua totum corpus involvebant exercitiis gymnasticis absolutis. *Sweater* vero vestis genus est manicatum. Sic nascitur «endromis manicata». Neque illepide Ageno-Antonibon in *Avviamento al conversare latino*. Patavii 1929 pag. 322 «chiridota lusoria» proposuerunt adnotantes: «*Golf-coat* vel simpliciter *golf* manicatum quoddam indumentum Angli appellaverunt, quo globis et clavula ludentes uti consueverunt». Ad quam rem obiter moneo secundum Duden Italiano, Lipsiae 1939, *sweater* et *golf*, unum idemque esse vestimentum diverso nomine. Venit disputatio ad *Pullover*⁴⁾. Multi proposuerunt «thoracem laneum». Minus arridet, quia pro *Weste*⁵⁾ «thorax» jam in usu est. Neque tam inops est Latina lingua, ut non aliae voces nobis suppetant. *Maglietta* a lana dicunt hujus aetatis Itali pure significantes «*pulloveres*» esse maculis contextos ex lana factos. Evidem ipse aliquandiu de «*macula strictoria*» cogitavi. «*Strictoria*» autem est vestimentum interius. Cum vero hoc indumentum plerumque reticulatum est, facile fieri potest, ut «*macula strictoria*» pro *Unterjacke* accipiatur, uti jam fecit Antonibon in sua directione ad latine colloquendum p. 91 sub rubrica dormire. Vitetur oportet utique confusio. Itaque sit *Unterhemd* «*macula*», *Unterjacke* latine «*strictoria lanea*», hoc eo magis, quia Ducange strictoriam esse «*juxtacor*» dicit, quam vocem hic interpretam esse amiculum pectorale, germ. *Leibchen*. «*Juxtacordium*» autem decimo septimo saeculo a viris nobilibus gestabatur et vicem vestis forensis seu synthesis hirundineae explebat. Nostro igitur usui minus inservit. Ex Ducange exhibeo «*striga*», «*strigula*», «*strigis*». Quae voces, cum *pullover* sit vestimentum laneum super caput induendum aut stringendum vel manicatum vel sine manicis, addito adjektivo laneus, cum re optime quadrant. *Pullover* ergo a me vocatur «*striga seu strigis lanea*», si parvulis est accommodata vestis, «*strigula lanea*». «*Thorax laneus*» aut «*thorax acubus textus*» nihil est nisi *Strickweste*⁶⁾. Restat *Jumper*. Est vestimenti genus laneum, curtis manicis et ad collum clausum. Isidorus Hispalensis nobis exhibit «co-

1) chaquetilla — 2) abrigo cruzado. — 3) suéter, clásica de punto sin botones — 4) especie de jersey — 5) chaleco — 6) clásica de punto con botones.

lobium, ut indumentum curtis manicis. Adde laneum, habes aptam vocem. Cui hoc non probatur, confugiat ad «indusiolum laneum aut pelusiam lanem». Itali dicunt *blusa di lana*. *Blusse* autem ex Pelusio, urbe Aegypti, appellatum esse constat. Sic vox omnibus facile intellegibilis «pelusia lanaea» pro nostra re nata est.

Ad pannos aut textilia quod attinet, aut respxi vocis etymologiam aut originem seu locum natalem. *Manchester* e. gr. est panni villosi genus ex urbe Manchester, lat. «Mancunium». Inde «mancunianum». *Cheviot* est linteum genus Anglicum. Sic nanciscimur «linteum Anglicum». In aliis casibus linguas romanicas in usum vocavi. Sic per Italorum *fustagno*, inveni pro *Inlett* «fustaneum», quod e contrâ ipsum quasi digito monstrat Aegyptum. *Nanking*⁷⁾ ex urbe Sinensi Nanchino appellatur. Quid, si «Nanchinense textile» novo? *Britist*⁸⁾ quia cum baptismo cohaerere videtur, «baptistinum» vocavi optimo jure et dilucide. In omnibus enim his rebus summa lex esto perspicuitas.

Lebaco.

JOSEPH HOLZER
Realgymnasti Rector

Commercium epistulare

Josephus Jiménez Dri. Josepho Holzer, sal. pl.

Noli mihi succensere, humanissime collega, quod tam sero ad te rescripsimus. Longe absens a sede Salmanticensi, vacabam per ferias aestivas spiritualibus exercitiis in coetibus Religiosarum Immaculati Cordis Mariae. et cum jam ad meos cogitabam, adversa valetudine sum detentus, quo in domum infirmorum Sancti Georgii Barcinone VI kal. oct. ingredi sum coactus. Post mensem transvectus sum in nosocomium Sancti Pauli, ubi spe salutis, et magnis febribus et cruciatibus oppressus, decumbo. Instat actio chirurgica, qua liberer ab osteomyeliti in dextro femore; quod Deus ita faxit. De his quae in binis tuis interrogas, cum valuero, placere tibi curabo. Nunc ingenium hibescit, subsidia absunt. Cura ut valeas et pro mea valetudine Deum ores.

Barcinone, VII id. nov. a. MCMLI.

Josepho Jiménez, amico aegroto, Josephus Holzer sal. plur.

...Tandem tuum epistolium Barcinone VII id. nov. scriptum mihi traditum est, quo cognovi, quo in statu tuae essent res. O te miserum! Osteomyeliti, eheu, correptus quantis vexeris cruciatibus, facile possum cogitatione mihi fingere. Sed doloribus gravissimis quamquam exagitaris, officium litterarum tibi, dulcissime rerum, explendum esse putavisti. Major profecto est haec humanitas quam ut illam digne valeam praedicare. Tui ipsius, mi Jiménez, oblitus es plane. Profiteor ingenue tanta me omnino indignum esse benigni-

7) nankín, mahón. — 8) batista. holanda

tate. Quo tandem etiam modo? Benignius utique fecisti quam ut promeruerim. Grates, mi Jiménez, quod vel difficultimo laborans morbo e lecto ad me dedisti litteras! Evidem nihil magis cupio quam ut Deo favente firmum atque valentem te videam malo isto defunctum et levatum. Sic hae litterae evolent valetudinis restitutae nuntiae auspicatae, sin minus, saltem solatrices in doloribus...

Deinde pro vocabulis meae inopiae a te benigne subministratis ago gratias. Perlibenter et elato animo «primorum coetum» in memoriae recessus deduxi explosis reliquis vocibus, quae longiusculae mihi videntur esse atque nimis diffusae. Alterum est, ut tibi, mi Jiménez, propter «hyperepidesin» sollerter excogitatum eam afferam, qua sane dignus es, laudem. Nam rem omnem non solum ad sanam exegisti rationem, quod Grajorum ubertatem Romanae egestati substitueras, sed etiam summorum auctorum gravitatem secutus audacter postulavisti, ut nova atque inaudita vox crebra usurpatione molliretur. Quod meum erat, feci. Proposui collegis tuum commentum. Probaverunt, laudaverunt. Sed doleo, quod numerus eorun, qui latine scribunt et loquuntur, in dies magis magisque minuitur. Suis plerique commodis metiuntur omnia, omnia referunt ad utilitatem. Neque mirum est, quod talibus viris latine nescire videtur honestum esse. Nostrum igitur erit debitum atque munus, eo omnes conferre, superis opitulantibus, industriam, ut humanitatis veluti thesaurus servetur atque vitalem usque expromat calorem.

Deus O. M., Diva Mater, ceterique superi te omni prosequantur favore!

Dat. Lebaco, IV id. Jul.

Josephus Holzer Josepho Mariae Miro, amico suo.

Ex Nigrae Silvae rusticatione et recessu aestivo reversus in mea mensa scriptoria positam inveni epistulam Barbastro VI Kal. Aug. datam. Summo studio et maxima diligentia prosecutus sum voces, quas intimasti. Accipio pasceolum⁽¹⁾, chartarium, capsam, capsulam, marsupium. Excipio epistularium ambiguum probo chartophylacem. Expungo tabellarium, chartularium laudo. Scite scrinium subitarium procudisti. Peditaculum praefero curripedo. Quaeritur, num curripedum ex currendo et pedo (pedum, i. n.) conflatum sit an ex currendo et pede (pes, pedis) compositum. Illud autem curripedum, quod audacius mihi effinxisse videris, effecit, ut ipse novarem pedecurriculum, quod magis cum indole et natura linguae latinae convenire puto. Quid aīs? Calceos ferreos, labiles, rotatos non insuper habeo. Grates ago ex animo.

Huic epistulae adjeci nomenclaturam vestiarium; teque rogo, ut ex tuis opibus Latina, nisi molestum sit, pro vocibus ad labores femininos adicias pertinentibus. Exhibui indiculum verborum Hispanicorum, quae ex lexico germanico-hispanico exscripsoram:

(1) Cfr. fasciculum superiorem.

1 *pespunte*, 2 *punto de cuñete* a) *para bordar en hilo*, b) *para coser a máquina*, 3 *punto de espada*, 4 *punto de adorno*, 5 *punto ruso*, 6 *punto de cordón*, 7 *punto de trencilla o espiga*, 8 *festón*, 9 *punto de cruz*, 10 *punto de encima*, 11 *calado*, 12 *aplicación*, 13 *bastidor cuadrado*, 14 *trabajo de frivolté*, 15 *trabajo de nudos (macramé)*, 16 *puntilla de tul* a) *fondo de la puntilla*, b) *bordado (denticuli tulenses, fundus, ora)*, 17 *encaje de bolillos*, a) *almohada del encaje de los bolillos*, b) *patrón*, c) *bolillo (ars tudicularis, specimen, tudicula)*.

Sic res vestiaria, te socio operae assumpto, (vereor ne tibi importunus interveniam), Deo optimo favente, quodammodo confecta erit. Ut de una fidelia duos dealbemus parietes, tibi, mi Mire, suadeo, ut expunctis, quae minus aptae tibi videbuntur, vocibus a me fabrefactis aptiora et meliora substituas nomina. Sic tandem sperare licet nobis eum praesto fore vocum thesaurum, quo maxime indigemus. Evidem cupio, ut etiam Avenarius noster in arenam descendat. Nam quo plures sua contulerint, eo facilius assequemur proposita. Quod faustum et fortunatum sit.

Coorta in patria Saraviensi pestilentia quam medici Poliomyletim nuncupant, ex edicto ministerii institutionis publicae ante diem VIII Kal. Oct. haberi scholae non incipientur. Quapropter otium, quod invitus nactus sum, ita colloco, ut occasionem oblatam tenens epistulam protraham. Cum vero epistulae, quas adhuc inter nos scripsimus atque accepimus, in unis fere vocibus ad res recentissimas significandas versatae sint inveniendis, eundem pergo servare tenorem. Spectant ad autocinetum, birotam, ferratam viam.

1 *bastidor o chasis*: pugmentum aut cantherius, 2 *motor con acoplamiento directo del engranaje*: est motorium congregatum cum mechanismo denticulationis. Hispani etiam *bloque-motor* dicunt. Placetne «conglobatio motoria»? •*Conglobus motoricus*?, 3 *inyector*: injectionale, novata significatione, 4 *carrocería*: capsus, ploenum, 5 *guardabarros*: luti defensaculum, 6 *carter*: arca motoris, 7 *árbol del Cardán*: arbuscula Cardanica, 8 *árbol de levas*: arbuscula eccentricorum, 9 *cigüeña*: arbuscula manibulata, 10 *brida*: hapsus (ab ἄπτω) pars dilatata, qua tubi conjunguntur, 11 *resorte de la válvula*: valvulae tendiculum, 12 *marcha en vacío*: cursitatio inanis seu vacua, i. e. autocineti aut birotae motoriae cursitatio otioso vel sistente motorio, 13 *diferencial*: denticulatio differentialis, 14 *parachoques*: collisionis defensaculum... (1) Vale!

Lebaco, III id. sept.

Jos. M. Mir, C. M. F., Dri. Josepho Holzer, Rectori sal. pl.

Extremis mensis septembbris diebus epistulam tuam cum nomenclatura vestiaria accepi. Sed ita res ac negotia —quibus opera continuo mihi adhibenda est— aucta sunt ac multiplicata u' ad scripta, quae miseras, vix animum intendere possem. Nunc vero aptiorem nactus opportunitatem tecum de illis sermonem libenter instituo.

(1) Finetur in sequenti fasc.

Quod proposita a me verba tibi placuerunt, maxime gaudeo. Tuum *pedicurriculum* —aptius forte, juxta leges componendi vocabula Latina, in *pedicurriculum* mutatum — accipendum plane puto, cum *curriculum* currum quoque significet. *Pedicurriculum* igitur erit parvus currus, vectaculum pedis seu pede actum, quo cum lusorio puerorum instrumento (*patinete*) congruit. Quod si instrumentum illud ludricum minus apte currus appellari quibusdam videatur, iis forte *peditaculum* probabitur cum ex ipsa desinendi ratione (*in -aculum*) sit instrumentum quoddam quo *peditamus*, seu pedibus imus, seu quod pedibus agimus. Ut nunc est, accipio tuum *pedicurriculum*.

In illo —quod novaveram— *curripedo*, altera vocis pars a *pede* dimanat ut in *planopedum*, *planipes*, *planipedus* (cf. GRADENWITZ, *Laterculi vocum Latinarum*), quae tamen vox, utpote ratione progressiva in componendo effecta, rara profecto apud Latinos, forte sit abjicienda.

Ceterum, carissime, spero te jam PALAESTRAE fasciculos accepisse, in quibus perlegendis totus diutius incumbas. —Voces, quas de vestibus misisti, omnino cum technique sint, et rem ipsam callere nisi pertractatam habeas et vocem Latinam ejusque translationem interpretari, difficillimum est; maximam igitur tibi in iis rebus pertractandis fidem habebimus; praesertim ubi perlegeris quae in CANDIDATO LATINO et praecipue in PALAESTRA, n. 39, p. 50, n. 60, p. 30 vocabula prodierunt. —Verba Latina aptanda iis, quae in epistula profers, in praesentia non suppetunt; rem et tu et lectores nobiscum mente agitate. De «autocinetos» seu «automolo» confer CANDIDATUM LATINUM 10, 70, de «birota», CANDIDATUM LATIUM, 12, 26, PALAESTRAM, 24, 85; 66, 30; de «ferrivia» confer «trahaculum» in CANDIDATO LATINO, 7, 25; et alibi.

Josephum Jiménez nostrum scito Barcínone morbo cruris gravi laborare qui eum diu lecto tenebit.

Valetudinem tuam cura diligenter nosque ama.

Barbastri, III idus novembres, a. 1951.

BIBLIOGRAPHIA

Sister, M. J. SUELZER, *The Clausulae in Cassiodorus: The Catholic University of America Press, Washington, D. C., 1944.*

In illa praeclara Catholica Americae Universitate selectae eduntur monographiae quibus opera Patrum aliorumque scriptorum investigantur. Ex his quedam orationum clausulas perpendunt; quam in sequens viam soror M. J. Suelzer praecipuas Cassiodori clausulas ingenti prorsus labore in operibus «Institutiones, De Anima, Expositio, In Psal-

terium, de Orthographia, Orationes, Acta, Historia Ecclesiastica», cet., perscrutatur, in altera parte non nulla in clausulis Cassiodori animadvertuntur. Ac tandem hujus clausulae cum aliis allorum scriptorum conferuntur. Ex instituta investigatione id efficitur Cassiodori orationem prosam esse rhythmicam, non vero metricam.

Opus labore et ingenio plenum; cui ut similia subsequantur opuscula docti viri profecto desiderabunt.

J. GARCIA, C. M. F.

BEATAE MARIAE VIRGINIS ASSUMPTIO IN CAELUM

«Surge, veni»,... «Jesu vox caelo invitat ab alto.
Ilico mors praedam linquit, corpusque Mariae
Jam vita aeterna indutum secreta sepulcri,
Ac nati sequitur clamantis ab aethere vocem.
Obvius accurrens ad Matrem Filius ipse
Excipit amplexus secumque extollit ad altum.
Ecce —innixa super dilectum— cuncta Maria
Pertransit celeri stellarum regna volatu,
Regis et aeterni solium pertingit ad ipsum.
Hic humilis trinum Dominum reverenter adorat
Filia, Sponsa, Dei Genetrix et Virgo fidelis.
Summus adorantis purum Deus excipit almae
Virginis obsequium, et caeli mox ambitus omnis
Luce nova exsultat, stellarum namque corona,
Prae cunctis Sanctis divo splendore micante,
Divinae omnipotens praecingit tempora Matris,
Reginam caeli statuit terraeque potentem,
Aeternumque jubet secum regnare per aevum.
Continuo exsurgens ex omni sede beata
Caeli tum totam caelorum personat aulam,
Dulce melos: «caeli et terrae Reginam, Maria;
Virgo Mater, ave! Tibi frons redimita refulget
Bis caeli stellis... pedibus tibi luna scabellum...
Te sol justitiae lucis vestivit amictu...
Tu decus angelicum, nostrae tibi gloriae laudis!»
Talibus ex imis oritur vox consona terris:
«Salve, Sancta Parens! Nostrae tu gloria gentis...
Tu flos humani generis, Purissima Virgo!
Caeli Reginam quot vitae ducimus aër
In terris Matrisque juvat gaudere triumpho,
Laetitia filii te omnes celebramus ovantes.
Tu, pia, nunc age! Tu nostro succurre labori!
Fac, Mater, regi Domino bona verba loquaris
Pro nobis, ut Eum tecum laudemus in aevum».

ALOYSIUS LUCESOLE, Presb.

Apud González Catán, die 13, m. aprilii, a. 1951

Bibliographia

JULIAN MOTTA SALAS. — *Recuerdos del Ingenioso Hidalgo.* — Biblioteca de Autores Huilenses. Vol. I. Neiva, Imprenta Departamental. 1950.

Dr. Dominus Julianus Motta Salas, litterarum cultor, scriptor fecundus, formam classicam persequens, ex operibus Alonso Quijano el Bueno, *Clásicos del amor*, cet. in America et Columbia imprimis notus, in lucem nunc edidit *Recuerdos del Ingenioso Hidalgo*. In quo volumine praeter perspicuitatem psychologicam, formam still accurate elaboratam miramur, ita ut ex eiusdem critici viri verbis, auctoris forma litteraria cum nitida Cervantesii quasi confundi non nunquam videatur.

Suumam pariter auctoris notitiam et scientiam de rebus quae ad Quixotem spectant in toto opere perspicimus sicut et illam quae ad Sanctum amicum et Teresiam uxorem.

Attamen elocutio, forte nimis ornata atque difussa e servili quadam Cervantesii imitatione orta, multis —arbitramur— non facile probabitur.

Librum tamen utilem adolescentibus judicamus quibus oblectamento et imitationi facile esse poterit.

J. GARCIA, C. M. F.

MAXIMINO MANTECA — *El latín y el examen de estado*. Madrid, 1951.

Hac nostra aetate magna est librorum copia ad hoc ut juvenes «breviter et sine magno labore» in praeclipsis instituantur quae illis opus sint ad bachelareati tentamina bene preferenda; et hi libri, quamvis nonnullis laborent omissionibus, utiles tamen ac necessariori saepe aestimantur, cum adolescentes de bonarum litterarum maximo momento non adhuc bene sentiant. Quem hodie tibi, lector, proferimus, aptus erit ad id quod sibi auctor proposuit et alumni pustilliores ambiunt. Duabus concisis

partibus, de analogia agit et syntaxi. In fine aliqua optimorum auctorum excerpta traduntur.

DU BOURGUET PIERRE. — *Vade-mecum de Latin pour toutes les classes*. Paris, A. et J Picard 1950. 171 pag

Opus quandam linguae Latinae epitomem constituit, in sex partes divisum; quarum in prima nominum ac verborum paradigmata; syntaxis, exemplis interpretata, et pauca de re metrica traduntur. In altera utile vocabularium apponitur in quo ejusdem stirpis verba colliguntur. Et tandem compendia Geographiae, historiae, Litterarum atque Institutionum proponuntur.

Opus in syntaxi aliquantum defici nobis videtur, quae, etsi recta methodo enucleata, tamen concisior appareat. Quod idem de re metrica dicendum. Vocabularium exquisitius est elaboratum. Ceterae partes, quamvis breves et concisae sint, aptae tamen videntur ad hoc ut discipuli cito in re instituantur.

A. JESUS ASPA, C. M. F.

WALTER F. OTTO. — *Die Götter Griechenlands*. Das bildes Göttlchen im Spiegel des Griechischen Geistes. 3.^a ed. 1947. Verlag G. Schulte-Bulmke Frankfurt am Main.

Commendatur liber his omnibus qui studium aliquod de Graecorum sensu religioso, de eorum in deos fide, de deorum origine, natura, cum hominibus relationibus, cet. aggredi conantur. Haec omnia in primis valde utilia immo saepe necessaria sunt, ubi de poëmatis epicis-religiosis est sermo, praesertim de Homericis, quos maxime ob oculos habet auctor in conscribendo libro.

Postquam rationem hujus tertiae editionis protulit, facundus scriptor sermonem instituit in introductione de religione in genere Graecorum, cet. Posit-

ts his omnibus fundamentis, pertractat auctor subtilius quae sequuntur: *Religion und Mythos der Vorzeit*, *Olympische Göttergestalten*, *Athene*, *Appollon und Artemis*, *Aphrodite*, *Hermes*, si nempe illi qui potissimum apud Homerum inventiuntur; de ceteris hic illic sermo habetur ubi opportunum videtur. Consequitur hoc tertium, quartum caput: *Das Wesen der Götter*, *Geist un Gestalt. Sein und Geschehen im Lichte der Götteroffenbarung* (V), *Gott und Mensch* (VI), *Das Schicksal* (VII). Ut supra diximus, opus magni momenti ducimus

J. ALOSIUS BAQUERO, C. M. F.

E. V. MARMORALE — *Giovenale*, 2.^a ed.,
Bari, Laterza, 1950

Poetas ac litteratos homines scrutari permagnum quidem sed utile opus est; nam historias litterarum, quae his praesertim temporibus multae eduntur et in quibus de omnibus fere auctoribus eorumque operibus agitur, defici saepe videmus. E contra in iis quae vocantur monographiis altius penitusque de his omnibus quae ad auctores, scripta, ceteraque spectant, inquiritur; quo sit ut ad horum clariorem ac subtiliorem notitiam perveniamus. Quod Dominus E. V. Marmorale in suo *Giovenale* effecit, cujusque alteram editionem paravit et in vulgus edidit. In duobus primis capitibus difficilem certo atque operosam rem auctor suscepit investigandam: num Juvenalis vere sit poeta ac morum praeceptor, quod post seriam investigationem denegat. In tertio vero capite verum Juvenalem nobis demonstrari intendit. Dominus E. V. Marmorale forte in Juvenalem saevior a quibusdam judicabitur, quamquam ceterum argu menta vere probabilia apparent. Neque vero prologus praetereundus in quo auctor primae editionis criticis respondet eosque refellit. Opus omnibus Romanorum scriptoribus studiosis utilissimum judicamus.

P. U. GONZÁLEZ DE LA CALLE FEDERICO LEO — *Literatura Romana*. Traducción castellana directa del alemán, anotada y provista de adiciones bibliográficas y de varios índices alfabéticos. Instituto Caro Cuervo, Bogotá, 1950.

Inter ea opera, quae Romanorum historiam litterarum summatim recensent, merito laudibus honoratur liber Friderici Leo, qui totam rei materiam acute, alte exquisitaque expositione pertractat. Opus in quattuor partes dividitur, quibus praest introductio generalis in qua capita maximi momenti evolvuntur. Hanc de litteris Latinis historiam dum legis, eruditissimum auctorem, qui post diuturnum laborem et studium justum profert judicium, laudare non desint. Copiosissima operi subsequitur bibliographia, neque selecti desunt indices, in quibus perficiendis maximam contulit operam Dominus P. U. González de la Calle. Operis translatio Hispanica accurate est exata, ejusque genus orationis dilucidum ac delectabile. Tum auctori quod tam utile opus sumpserit vertendum, tum Instituto Caro et Cuervo quod in edendis his operibus belle ac jucunde lectoribus satisfaciat, sincero animo gratulamur.

J. ASPA, C. M. F.

DOM MAUR M. BOIX, — *Llibre de la Mare de Déu de Montserrat*. — Ed. 2.^a, Editorial Selecta, 1950, Barcelona.

TOMÀS GARCÉS — *Llibre de la Mare de Déu de Núria*. — 1950.

MARIÀ MANENT. — *Llibre de la Mare de Déu de la Mercè*. — Editorial Selecta, 1950, Barcelona.

Primus liber in duas dividitur partes, quarum prima continet carmina Bratae Martiae de Monte Serrato dicata a saeculo XIII usque in hodiernum diem. Selectio in id tendit ut et poética documenta prodat et lectorum usui consulat. In ea inveniuntur scriptores et poëtae: Victor Balaguer, Milà i Fontanals, Pons

i Gallarza, Rubí i Ors, Verdaguer, Costa i Llobera Maragall, López-Picó, Garner, Salvá, Sagarra, Guasch, Melendres, ceteri. Altera vero pars orationem solutam continet, qui sequuntur, auctorum: Torras i Bages, Maragall, Ruyra, Brunet.

Liber de Dei Genetrice a Nuria simili ratione procedit; poëtica tamen pars liberae descriptioni subsequitur. Inter eos qui prosa utuntur oratione, recensentur praeter alios: Amades, Oller, Brunet, Santamaría, Melendres, Romeu, cet., et qui poëtica consequantur: Verdaguer, Maragall, López-Picó, Matheu, Arderiu, Sagarra, Ribot, Llobera, cet.

Ac tandem in libro qui est de Matre Dei a Mercede praecipui scriptores ac poëtae sunt: Torras i Bages, Esplugues, Cardó, Pujol, Garner, Riera, Verdaguer, Matheu, Sagarra, López-Picó, cet. Finem imponit oratio Sancti Antonii i Claret in Beatam Mariam Virginem de Mercede, quae adhuc inedita extabat.

Editoribus, qui hos libellos sedulo ac prudenti judicio concinnarunt sincero animo gratulamur; in his legendis et animus oblectatur, et mens instituitur, et pietas confovetur. Externa librorum species ac nitor, pretium, typographia, selectiones, omnia placent.

A. BAQUERO, C. M. F.

C. DÍAZ Y DÍAZ. — *Antología del Latin vulgar* — Biblioteca Románica Hispánica: IV, Textos. — Madrid, Editorial Gredos, 1950.

Haec Latini sermonis vulgaris Anthologia eis in primis litterarum studiosis destinatur, qui humanioribus disciplinis in Universitate navant operam. In monito quidem ac prolusione (pp. 9-12), facilis calamo tenor in libri confectio ne adhibitus ab scriptore enucleatur.

Praecipuae vero Latinitatis vulgaris quaestiones in titrum commodum agitantur. Textibus autem in libello allegatis nomenclatura artationum prae cedit, quae in decursu libri adhibentur (pp. 13-14). Qui notulis commentariisve decorantur multi illeque variis textus: a

saeculo Petronii ad plenam usque aetatem mediā decurrunt. Quos inter: Testamentū Porcelli, Novi Testamenti versio itala, Novi Testamenti Afra versio, Mulomedicina Chironis, Inscriptiones Orbis Romani, Glossaria, cet. Unicuique brevis et accurata annectitur intro ductio cum historia notitiaque textus; et ejusdem editiones, studia tenorque textus in praesenti Anthologia proferuntur.

Dentique liber clauditur brevi bibliographia, facili synthesis grammaticali atque indice titulorum generali. Eis erit profecto hic textus scholaris perutilis et commodus, quibus destinatus est ab egregio scriptore.

KENNETH L. PIKE — *Phonemics. — A Technique for Reducing Languages to Writing* (University of Michigan Publications. Linguistics. Vol. III), Ann Arbor, Michigan.

Est liber hic tam elaboratum opus, ut facile habendus sit verus progressus gradusque in hodierna conceptione cum theoria tum practica linguisticae descriptivae. Jam alibi clarus scriptor L. Pike fundamenta cujusdam vis aestimativa de perceptione in arte phonetica statuerat. Hoc vero in opere et practicum linguisticae structuralis valorem affirmare intendit. In quo, toto quidem pectore, exstruere methodum ad quemlibet sonum, quin pre oculis ejusdem habeatur linguistica qualitas, incumbit.

In libri sectionibus «Analytical Procedures» (pp. 67-174), «Descriptive Procedures» (pp. 174-208), «Orthographical Procedures» (pp. 208-228), indicat scriptor suam ipsius nitidam facilemque methodologiam. Inest insuper libro glossarium et index, eaque aestimationis certe hac in re fundamentalis; maximo enim opere adhuc perspicua et locuplex terminologia linguistica desideratur. Modo facilis aptoque tractatur ab scriptore symbolismus phoneticus.

Uno verbo, liber hic emolumenti magni in linguisticae structuralis provincia erit. Admodum, igitur, et litterarum studiosis humaniorum commendandus plausibusque celebrandus est.

J. GONZÁLEZ, C. M. F.

Exercitationes Scholares

Imaguncula Sanmartiniana

Clarissimus vir San Martin nepticulam habebat, quam vehementer diligebat; puella puppa recreabatur, cuius vestem cum lacerassent, ad avum accessit tentavitque puppam a frigore tutari egregii avi veteri involvens paenula. Consolacionem ut puellae adhiberet, insignis avus nepticulae numisma, cui adhaerebant vittae vetustate decolores, tradens: «Inolve, deliciae meae, inquit, his vittis tuam puppam ne amplius frigeat.

Pavimento cerneres paulo post vittas et numisma in quo illa perlegeres: «Bailén, a. d. VII id. junias a. 1.808». Cum arguerent San Martin quod abjeceret decoramen quo eum honestaverat Hispanicum Gubernium ob insignem ad Bailén victoriam in Gallos: «Quid? —respondit—, quae potest horum virtus esse, quae ne puellae quidem fletum cohibere queunt?».

LEOPOLDUS ESPACHE, C. M. P. (*e V. cursu gymnas.*)

A Villae Rosarii, in Argentina.

Avarus in inferis

Avarus, qui divitias quam maximas comparaverat, diem obiit supremum. Stygis ripam cum advenisset, Charon umbrarum portitor, obolum ab eo efflagitavit. Ille vero, ne tributa solveret, condescendere in naviculam recusavit atque in flumen se projectit. Simulac ripam, undas bracchiis abscondens, contrariam attigit, comprehensus et ante judices est adactus.

— «Quod iste, ait Minus, egit, si in consuetudinem venerit de hujus regni vestigalibus statim agetur. Itaque, cum hic periculosum primus prodiderit exemplum, nihil obstat quin gravissima cum afficiamus poena».

Haud dubium est, inquit Rhadamanthus, quin suppicio quam acerrimo sit afficiendus. Ad vivos ergo rursum redeat ipsem et videat quo sint modo divitiae haeredibus distribuendae.

Celsonae, idibus octobribus, a. 1951. JOSEPH ALOY. BRASERO, C. M. F.

Animus ingratus militis Philippi

Quidam miles, cum proficeretur, spopondit se mox Philippum regem adiutum et pecuniam, ut suo hospiti gratiam referret, petiturum.

Se contulit ergo ad Philippum et naufragium narravit, sed de hospitis auxilio siluit, et confessim petivit ut sibi eujusdam Macedonis praedia donaret. Haec praedia hospitis erant qui ei hospitium dederat atque eum sanaverat. Qui, cum expulsus esset suo praedio, injuriam non tacitus tulit atque ad Philippum litteras breves liberasque scripsit.

Quibus lectis, rex, incensus ira, cuidam ministro suo jussit priori ero praedia reddi. Postea militem arcessivit et in eo haec ignominiosa verba inscribi jussit: «Ingratus es homo».

Barbastri.

JOSEPHUS M.^a MELE, C. M. P. (*e V.^o Latinitatis c.*)